

seditiones, nolite terreri : oportet enim primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denuntiat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud a fratribus perpeti.

**R.** Per signum Crucis de inimicis nostris, \* Libera nos Deus noster, allelúia. **V.** Salva nos Christe Salvator per virtutem Crucis. — Libera nos.

**LECTIO VIJ.**

**S**ED his malis præveniētibz, quia non statim finis sequatur, adiungit : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum : et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentie, et fames, terrorisque de cælo : et signa magna erunt. Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur : et per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequuntur. Et ideo post bella et seditiones non statim finis : quia multa de-

bent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare.

**R.** Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, \* Radix David, allelúia. **V.** Crux benedicta in qua triumphavit rex Angelorum. — Radix. **Gloria Patri.** Radix.

**LECTIO IX.**

**S**ED cum tot signa perturbationis dicta sint, oportet, ut eorum considerationem breviter per singula perstringamus : quia necesse est, ut alia e cælo, alia e terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim : Surget gens contra gentem, ecce perturbatio hominum : erunt terræ motus magni per loca, ecce respectus iræ desuper : erunt pestilentie, ecce inæqualitas corporum : erit fames, ecce sterilitas terræ : terrorisque de cælo et tempestates, ecce inæqualitas aeris. Quia ergo omnia consummationem omnia perturbantur : et qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur : ut impleatur quod dicitur, Et pugnet pro

eo orbis terrarum contra insensatos.

Te Deum laudamus. 18.

**AD LAUDES,  
et per Horas, Añæ.**

1. O magnum pietatis opus : \* mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

2. Salva nos \* Christe Salvator per virtutem Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis.

3. Crucem tuam \* adoramus Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus : ecce enim propter Crucem venit gaudium in universo mundo.

4. Ecce Crucem Domini, \* fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, allelúia.

5. Tuam Crucem \* adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem : miserere nobis, qui passus es pro nobis.

**Capitulum.** Gal. vj. d

**M**ihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

**Hymn.** Lustra sex. ut in Brev. die iij. Maii. 404.

**V.** Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

**R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

**Ad Bened. Añæ.** O Crux gloriosa, o Crux veneranda, o lignum pretiosum, et admirabile signum, per quod et diabolus est victus, et mundus redemptus.

**Oratio.**

**D**EUS, qui per Crucem tuam populo in te credenti triumphum contra inimicos concedere voluisti : quæsumus, ut tua pietate adorantibus Crucem victoriam semper tribuas, et honorem. Qui vivis.

**AD TERTIAM.**

**Capit. ut ad Laudes.**

**R. br.** Hoc signum Crucis, \* Erit in cælo. Hoc **V.** Cum Dominus ad iudicandum venerit. Erit. **Gloria Patri.** Hoc.

**V.** Adoramus te Christe, et benedicimus tibi. **R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum.** Philipp. ij.

**C**hristus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

**R.** br. Adoramus te Christe, \* Et benedicimus tibi. Adoramus te. **V.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum. Et benedicimus. **Gloria Patri.** Adoramus.

**V.** Per signum Crucis de inimicis nostris. **R.** Libera nos Deus noster.

AD NONAM.

**Capitulum.** Philipp. ij.

**I**N nomine Jesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

**R.** br. Per signum Crucis, \* De inimicis nostris. Per signum. **V.** Libera nos Deus noster. De inimicis. **Gloria Patri.** Per signum.

**V.** Hoc signum Crucis erit in celo. **R.** Cum Dominus ad judicandum venerit.

IN II. VESPERIS.

**Añae et Capitulum ut in Laudibus.** [463]

**Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol.** [2]

**Hymnus.** Vexilla Regis. **ut in Brev.** 397.

**V.** Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

**R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

**Ad Magnificat, Añae.** O Crux benedicta, quae sola fuisti digna portare regem caelorum et Dominum.

DIE XVII. JULII

S. Alexii

Confessoris. Duplex.

**Omnia de Comm. Conf. non Pont.** [97] **praeter sequentia.**

**Oratio.**

**D**Eus, qui beatum Alexium Confessorem tuum in mundi contemptu mirabilem effecisti: praesta quaesumus, ut intercessionis ejus auxilio fideles tui terrena despiciant, et ad caelestia semper aspirent. Per Dñum.

**In j. Nocturno, Lektionen de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio II.**



Alexius Romanus, Euphemiáni senatoris filius, piissime ac liberalissime in paterna domo a teneris annis educatus, assiduo christianarum virtutum exercitio adeo in Jesu Christi amore exarsit, ut secum statuerit familiae nobilitatem, patrimonii amplitudi-

nem, mundi illecebras et voluptates ejusdem imitationi postponere. Quare prima nuptiarum nocte ductam parentum voto conjugem peculiari Dei monitu intactam reliquit.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

**Lectio II.**

**C**Lam itaque e domo abscedens, illustrium orbis terrae ecclesiarum peregrinationem suscepit. In quo instituto cum ignotus septemdecim annos transegisset, aliquando apud Edessam Syriae urbem per imaginem sanctissimae Mariae Virginis ejus nomine divulgato, ut inanem mundi gloriam declinaret, inde navi discessit: mox ad Portum Romanum impulsus, ac patri, Deo ita disponente, obviam factus, ab eodem in propria domo tamquam alienus pauper hospitio receptus est.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: sto-

lam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

**Lectio III.**

**H**OC in loco, ut nova mundum arte deluderet, durum certamen aggressus, inter uxoris et parentum diutinos questus, inter famulorum contemptum per decem et septem annos admirandae virtutis, et in victa patientiae exemplum se praebuit, soli Deo notus. Post mortem scripto suo agnitus, in quo nomen, genus, et totius vitae cursus continebantur, Innocentio primo Pontifice maximo, ad ecclesiam sancti Bonifacii, quae etiam sancti Alexii nomine appellatur, summo honore delatus est, ubi ad hanc usque diem pia fidelium veneratione colitur. Ejus diem festum senatus Romanus, ut debitam erga tam insignem concivem suum pietatem ostenderet, a summo Pontifice Clemente decimo secundo ritu solemniori Romae et in ejus districtu celebrandum impetravit.

**R.** Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio viij. Cap. xix.

**I**n illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Etréliqua. Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Declam. in Ev. hujus verb.

**A**rbitror verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalæ sponsum a finibus terræ clamat Ecclesia : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba quæ Egyptum spoliant, et optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus et efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, et veritatis promissione fideli.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo

laudavit Dominum : \* Ipse intercédât pro peccatis omnium populorum. **R.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viij.

**N**am et mundus transiit, et concupiscentia ejus, et relinquere hæc magis expedit, quam relinqui. Ecce, inquit, reliquimus omnia, et secuti sumus te : nimirum quia exsultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse ; nam et simul cum eo donantur omnia, et ubi apprehenderit eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maxime.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **R.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora

Dominus vester venturus sit. — Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

**P**etrus cogitatum suum jactans in Domino, et omnem sollicitudinem suam in eum projiciens, certus quod illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus est Dominum, ne interrogans quidem de premio, donec ex periculo divitum, quod Salvator prosequeretur, sumeret occasionem percunctandi: Quid ergo erit nobis? Ait illis Jesus : Amen dico vobis. Verbum confirmationis præmittitur; magnum noveris esse, quod sequitur. In regeneratione sedebitis et vos. Consequimini, ait, quem sequimini : ut cum ipse sederit, et vos pariter sedeatis. O sessio! quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis, quod de sessione hac cordis affectione concipio? Imo quis tribuat mihi sessionis hujus imperturbata frui requie, quam desidero, quam cupio, quam requiro?

Te Deum. 18.

DIE XXVII. JULII.

S. Pantaleonis

Martyris. Semiduplex.

Sij. Vesperæ dicuntur in-

tegræ, sumuntur Añæ de Laudibus. [470]

Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apost. [2]

Capitulum, Hymnus et **R.** Gloria et honore. de Communi. [29]

Ad Magnif. Añæ. Gloriosus Pantaleon \* cœlestem medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo vivit in cœlo coronatus.

Oratio.

**D**eus, qui beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare : concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordie tuæ sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

**P**antaleon Nicomediensis filius Eustorgii Gentilis et Eubulæ Christianæ, medicam artem ab Euphrasino didicit. Cum autem Hermolæus Presbyter ex modestia vultus, ex incensu et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit et cepit in cor fluenta divinæ fidei in-

fúndere. Crede mihi, dixit, Æsculápii et Hippócratis medicaménta prava sunt, et parum prodésse possunt; quinimo ipsi dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fábulæ; unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatióne omnes morbos fugábis. Quæ verba servábat in corde, júgiter meditabátur et suaviter allectus, ad Hermoláum, ut ad magistrum, hílaris quotidie ventitábat. Cum autem quadam die vidéret púerum mórtuum et prope eum víperam quasi ostendéntem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolái, invocáto nómine Christi, puer iste vivet et béllua moriétur; quod ut cogitávit, áccidit; et statim infúsa luce securitátis, omnis caligo discessit; et benedicens Deum æstuánsque desidério sacri baptísmi, ab Hermoláo gaudens illum suscepit.

✠. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: ✠. Et dedit illi claritátem ætérnam. ✠. Descendítque

cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit.

**Lectio v.**

**N**ON multo post cæco visum restituit, et patri Eustórgio ténébras impietátis solvit, qui idóla calcans et verum Deum conféssus baptizátur. Mórtuo patre, egénis opem et languéntibus sanitátem largiebátur; quare ad Maximianum déferunt, qui primum honóre et blandítiis attráhère studet, deínde minátur mortem et dira supplicia, si diis non ófferat sacrificium. Sed cum ómnia invícto ánimo respúeret, in ligno suspénditur, férreis laniátur úngulis et lámpades ignis latéribus ejus admoventur; at illi oránti apparuit Christus dúlcibus verbis récreans; et íllico lassátæ sunt manus lictórum, exstinctæ lámpades et plumbum liquátum, in quod póstmodum tyránno jubénte injéctus fuit, in naturálem mutátur frigiditátem. Sed quid non tentat ingeniósa crudéltas? Mandat ingéntem lápidem collo alligári sicque in mare demítti; sed lapis non secus ac fólium

leve supérnatat, et Pantáleon firmiter super undas gráditur. Non cessit tantis prodigiis tyránni obcæcáta mens, sed feris insánior jubet ad feras produci. Crudéle spectáculum! sed spectábile cælo! Conflúxit tota cívitas, congregiúntur cum athléta feræ; sed illæ tamquam ratióne uténtes, et indútæ humanitátem, quam exúerat imperátor, reverénter ad Mártirem accédunt, blandiúntur, pedésque illius lingua tangéntes véluti contendébant, quænam prima ad eum accéderet; et non prius recéderet, quam Martyr ei manum imposuisset ac benedixisset.

✠. Desidérium animæ ejus tribuisti ei Dómine, ✠. Et voluntáte labiórums ejus non fraudásti eum.

✠. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis: posuisti in cápite ejus coronam de lapide pretiósio. — Et.

**Lectio vj.**

**Q**UO viso clamábant multi: Dimittátur justus; magnus est Deus Christianórum, qui quidem solus et verus est. Sed Maximianus, nec edó-

ctus a feris pietátem, nec tanto lúmini cedens, imperat Pantaleónem in locum éditum ferri et rotæ alligátum in præceps per declíve demítti: at rota ultríce et plures deórum oppriménte cultóres, illæsus evásit; quare gládio occídi jussit. Accessit lictor, óleæ plantæ illum alligat, sed cum exsequerétur ictum, convérsa fuit ferri ácies ceræ similis; quo miraculo stupefacti lictóres ad pedes Mártiris provolúti véniam precántur, Christum apérte confiténtes. Sed tandem, ne periret glória martyrii, caput absconditur et statim lac pro ságuine fluxit, et planta óleæ, cui alligátus fúerat, frúctibus onústa apparuit. Cum autem quidam fidéles convenissent, sacrum corpus in suburbáno cuiúsdam Scholástici reverénter repónunt, et quem in vita tantis prodigiis Dóminus illustráverat, post óbitum innúmeris honorávit: inter quæ præclárum illud, quod sacer ejus cruor, qui in ampúlla servátur Ravélli in regno Neapolitano et Romæ a primis Véspéris festi usque ad diem

sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea exsistat, mirum in modum liquefieri et undequaque fluidum moveri, cunctis cernentibus, quotannis conspicitur; quod etiam accidit in portione sanguinis, qui in monasterio Regali Incarnationis monialium sancti Augustini Matrini inter pretiosiora pignora asservatur. *℞. Stola.* [37]

In *ijj. Nocturno, Homil. Dominus diem judicii. de Communi ij. loco.* [47]

AD LAUDES,  
et per Horas, Añæ.

1. In tormentis \* apparuit Christus Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

2. Ego enim, \* ait Christus in habitu Hermolai, tecum sum in omnibus, quæ propter me pateris.

3. Cum pro lictoribus \* exoraret, audivit de caelo: Ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, id est misericors; quia multi per te misericordiam consequentur.

4. Lacte et cruore \* Martyris collum fluit, pro quo cruorem et aquam Christus fuderat.

5. Pantaleon \* varie cruciatus jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi.

*Capitulum.* Jac. j. b

**B**eatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.

*Hymnus.*

**I**nvicte Martyr, unicum Patris secutus Filium, Victis triumphas hostibus, Victor fruens caelestibus.

Tui precatus munere  
Nostrum reatum dilue,  
Arcens mali contagium,  
Vitæ repellens taedium.  
Soluta sunt jam vincula  
Tui sacrati corporis:  
Nos solve vinculis sæculi,  
Dono superni Numinis.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
Cum Spiritu Paraclito,  
Nunc, et per omne sæculum.  
Amen.

℞. Justus ut palma florabit. *℞.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus, Añæ. Dixit Maximianus Pantaleoni: \* Quænam est ars præstigiarum, quæ tibi exstinxit lampades et satellitibus vires abstulit?

Ad quæ respondit: Meæ præstigiæ Christus est.

*Oratio.*

**D**eus, qui beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuæ sentiamus effectum. Per Dominum.

AD HORAS.

Añæ sumuntur ex Laudibus, ut supra. Capitula et *℞℞.* brevina ut in Communi unius Mart. [42]

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laudibus, supra. Psalmi ut in *ij. Vesp. de Comm. unius Mart.* [43]

Deinde a Capitulo de sequenti cum Commemor. præced. Añæ. Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu astantium factus est illi adjutor.

℞. Justus ut palma.

*Oratio ut supra.*

DIE XI. AUGUSTI.

S. Philumenæ

Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virginum [122] præter seq.

*Oratio.*

**D**eus, qui inter cetera potentiae tuæ miracula etiam in sexu fragili

victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut qui beatæ Philumenæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

*Commem. Octavæ et simplicis.* 705.

In *j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

*LECTIO II.*

**I**nter cetera Martyrum sepulcra, quæ in coemeterio Priscillæ ad viam Salariam reperiri solent, illud exstitit, quo repositum fuerat sanctæ Philumenæ corpus, uti ex tumuli inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis, et alia insculpta conspicerentur martyrii insignia, dolendum tamen est, res ab eadem gestas, actaque ac genus martyrii quod ipsa fecit, obscura perstitisse. Ceterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficentia Pii septimi initio pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis populi propositum fuit Mughani in Nolana diocesi, ingens illico famæ cele-

britas ac religio erga sanctam Mártirem percrebuit, præsertim ob signa, quæ ejusdem præsidio accessisse undique ferebatur. Hinc factum est, ut complurium Antistitum, cultorumque Mártiris postulationibus permotus Gregorius decimus sextus Póntifex máximus, universa rei ratione mature perpensa, festum ejusdem cum Officio et Missa in memorata Nolana diocesi, et alibi agendum benigne permiserit.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et deducet te.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

**Lib. 1. de Virg. circa init.**

**Lectio II.**

**Q**uoniam hodie natalis est Virginis, invitat nunc integritatis amor, ut aliquid de virginitate dicamus : ne veluti tránsito quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in

Martyribus reperitur : sed quia ipsa Mártires faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complécti, quod supra usum naturæ sit? E cælo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsit e cælo, quæ sponsum sibi invenit in cælo.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

**Lectio III.**

**H**Æc, nubes, æra, Angelos, sidera que transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit et toto hausit pectore. Nam quis tantum, cum invenerit, relinquat boni? Unguentum enim exinanitum est nomen tuum : propterea adolescentulæ dilexerunt te, et attraxerunt te. Postremo, non meum est illud, quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur, si Angeli

comparentur, quæ Angelorum Dómino copulantur.

**R.** Afferentur. [133]

**In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres. de Communi. [136]**

**Lectio ix. simplicis, 708. cum ejusdem Commem. in Laudibus, ibid. post Commem. Octavæ S. Laurentii. 704.**

DIE FIXA

POST XV. AUGUSTI  
VEL DIE XXV. NOVEMBR.

S. Tharsicii

Acolythi, Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius  
Mart. [29] præter seq.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

**Q**uotquot ad sacras sacratiatis aras  
Carnibus divis animam,  
fidèles,  
Nobilem miris méritis ministrum  
Dicite Christi.

Ille iniquorum manibus tremenda  
Ne daret Jesu sacra, quæ gerébat,  
Fortis obsistens méruiť verentem

Fúndere vitam.

Impiæ stipant juvenem cohortes,

Impetunt, cædunt, feriunt trahuntque,  
Ipse complexu válido sacrata

Múnera servat.

Servat invictus, fugiente vita :

Victa discedit manus impiorum :

Tum capit Martyr méritam beata

Sede coronam.

Qui facis fortes, Deus, atque palmas

In tuis gaudes famulis referre,

Sint tibi grates, tibi sit perennis

Glória laudis.

Amen.

**Ad Magnif. Aña.** Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter úbera mea commorabitur.

**Oratio.**

**P**ræsta quæsumus omnipotens Deus : ut sicut divina laudamus in sancti Tharsicii passione magnalia ; sic indulgentiam tuam piis ejus precibus assequamur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

**Hymnus ut in primis Vesperis.**

**In j. Nocturno, Lectioes de Scriptura occurrente.**

## In II. Nocturno.

**Lectio I<sup>a</sup>.**

**T**Harsicius Acóluthus quo tempore in Christiānos, auctore Valeriāno Augūsto, desævītum est, Romānam Ecclēsiā praelāro martyrio illustrāvit. Illi quamvis adolescentulo per eam persecutiōnis tempestātem munus sane grave demandātum fuerat deferendae clānculum ad fideles captivos divinā Eucharistiā. Accidit vero ut id officii obeūntem ethnici insectatores deprehēderint. Dissimulābat ille quidem, ut poterat, quam magna apud se gestāret : at vero incēssus, oculi, vultus ex caritate nimia rubescens, Deum in ipso præsēntem prodiderunt. Ita superānte divīno amore cavēdi stūdiū, exquīsitam hōstium indagatiōnem non esflūgit.

✠. Honēstum fecit illum Dōminus, et custodivīt eum ab inimicis, et a ductōribus tutāvit illum : \* Et dedit illi claritatem aeternam. ✠. Descenditque cum illo in foveam : et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit.

**Lectio II<sup>a</sup>.**

**S**uspiciati enim id quod erat, eum christiāna mystēria, quae vocabant, occultare, illico invadunt : jubent proferre quod gerat. Negat ille se sancta umquam datūrum cānicus, consertisque ad pectus ulnis, Christo Deo fretus, divinum tuetur pignus. Illi contra obniti omni vi adolescentis brachia divellere, at nihil proficere. Tum fustibus eum caedentes, lapidibus etiam obruentes interficiunt. Quo admissio scelere, ad aliud longe tētrius aggrediuntur : ardent cupiditate violandi, quae subiecta mystēria sint. Hoc tamen illis, prohibente per miraculum Deo, haudquamquam succēssit. Itaque in exānima membra incumbunt, studiōsa inquisitione sacratum corpus perquirunt ; perscrutantur vestes diligentissime. At vero sive quod Christus sua sacra efficeret mirabiliter invisa, sive quod ea intra pectus Martyris in ipso certamine ut sustentarent pugnāntem, haud minore prodigio penetrarint ; nihil quidem illi sacramentorum Dōmi-

## In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joānnem.

**Lectio III<sup>a</sup>. Cap. vj. f**

**I**N illo tempore : Dixit Jesus turbis Judaeorum : Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Et reliqua. Homilia sancti Augustini Episcopi.

**Tract. xxvj. in Joann. post medium.**

**C**orunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intelligite fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constas quod homo es : constas enim ex anima, et corpore. Habes enim spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui vivit : qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis, qui vivit? Corpus utique

ni invēniunt. Ita rei novitate et arcana religione percūsi, fugam arripiunt.

✠. Desiderium animae ejus tribuisti ei Dōmine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ✠. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

**Lectio IV<sup>a</sup>.**

**C**orpus fortissimi Martyris clam a fidelibus elatum, in cœmetērio Callisti magno cum honore conditum est. Cujus postea tumulus beatus Damasus Papa praelāris versibus atque insigni decoravit praecōnio, in quo invictum adolescentem Stēphano Protomartyri ob passionis similitudinem aequare non dubitavit. Ossa dein beati Tharsicii e cœmetērio Callisti in basilicam sanctorum Xysti et Caecliae sunt illata, atque in sepulcro beati Zephyrini Papae reposita : quae demum, Paulo primo Pontifice maximo, simul cum plurimis sanctorum Martyrum reliquiis in aedem sancti Sylvestri in capite translatae sunt.

✠. Stola. [37]

meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi.

**R.** Coróna áurea super caput ejus, \* Expréssa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitúdinis.

**V.** Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. — Expréssa.

**LECTIO VIIJ.**

**N**umquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vinculum caritátis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédatur, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhóreat a compáge membrórum, non sit putre membrum quod resecári mereátur, non sit distortum, de quo erubescátur. Sit pulcrum, sit aptum, sit sanum: hæreat córpori,

vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cœlo.

**R.** Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit:

\* Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsit, sed ad cœlestia regna pervénit. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

**LECTIO IJ.**

**N**E autem putarent sic in isto cibo et potu promitti vitam ætérnam, ut qui eum súmerent, jam nec córpore moreréntur; huic cogitatióni dignátus est occurrere. Nam cum dixisset: Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam; continuo subjécit: Et ego resuscitábo eum in novissimo die. Ut hábeat ínterim secúndum spíritum vitam ætérnam in réquie, quæ sanctorum spíritus súscipit: quod autem ad corpus áttinet, nec caro ejus vita ætérna fraudétur, sed in resurrectione mortuórum

Te Deum. 18.

**IN LAUDIBUS.**

**Ad Bened. Añã.** Invéni quem diligit ánima mea: tenui eum, nec dimittam.

**IN II. VESPERIS.**

**Hymnus ut in primis Vesperis. [473]**

**Ad Magnif. Añã.** Confúsi sunt qui me persequébantur: quóniam sacra mystéria et ánima meam eripuit Dóminus e mánibus eórum.

**DIE XVI. AUGUSTI.**

**S. Rochi**

**Confessoris. Duplex.**

**Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. Oratio.**

**P**opulum tuum quæsumus Dómine, continua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac animæ et cóporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**LECTIO IJ.**

**R**ochus in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum caritáte flagraret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassán-

te, pátria relicta, Itálicam peregrinatióem suscepit, urbésque et óppida pér-agrans seípsum in ægro-tantium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdiúm quam gratum Deo fúerit, miris sanatió-nibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis periculo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restituit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde concílio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pó-pulo, per eádem civitátem, Episcopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religiósio stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus octávus Póntifex máxi-



mus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclesiæ sancti Rochi nómine Deo dicatæ, Officio ecclesiástico celebraretur, indulgisset.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit. Ex Tractátu sancti Augustíni Episcopi in Epístola Joánnis.

**Lectio v.****Trac. v. in cap. iij.**

**P**erfecta ista caritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhibuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens : Pater ignósce illis, quia nesciunt quid faciunt : sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discipulos non habebat. Si quis tantam habúerit caritátem, ut parátus sit pro fratribus étiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiátur nascitur,

cum fúerit nata nútritur, cum fúerit nutrita corroborátur, cum fúerit roborata perficitur, cum ad perfectiónem vénerit quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum : optábam dissólvi, et esse cum Christo : multo enim magis óptimum, manere in carne necessariú propter vos. Propter eos volébat vivere, pro quibus parátus erat mori.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

**Lectio vj.**

**H**ÆC est perfectio caritatis, major omnino non potest inveniri : sed quia non in ómnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata est quæ perficiátur; et útique si nata est, nutrienda est, et quibúsdam suis nutrimentis ad perfectiónem própriam perducenda. Quæsimus inchoationem caritatis unde incipiat, et ibi continuo invenimus : Si quis habet facultates mundi, et ví-

derit fratrem suum egentem, et cláuserit viscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc incipit ista caritas, fratres, ut de suis supérfluis tribuat egenti in angústis aliquibus constitúto, ex eo quod sibi abúndat, secundum tempus a tribulatione temporáli liberet fratrem : hinc exórdium est caritátis. Hanc ita cæptam, si verbo Dei, et spe futúre vitæ nutrieris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis animam tuam pónere pro fratribus tuis.

**R.** Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homil. Pusillum gregem. de Comuni ij. loco. [115]

In Laud. fit Comm. Oct. Assumpt. 725. et S. Laurentii. 704.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Helenæ

Imperatricis Viduæ.

Duplex.

Omnia de Comuni nec Virg. nec Mart. [144] præter sequentia.

Oratio.

**D**omine Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latebat, beatæ Hé-

næ revelásti, ut per eam Ecclesiám tuam hoc pretioso thesauro ditares : ejus nobis intercessióne concède; ut vitalis ligni pretio, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Qui vivis et regnas.

Comm. Oct. Assumpt. 726. et S. Agapiti Mart. 736.


In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

Orat. de obitu Theodosii.

Lectio iv.

 Enit ergo Helena, cæpit revisere loca sancta, infúdit ei Spíritus, ut lignum crucis requireret; accessit ad Gólgotham, et ait : Ecce locus pugnæ, ubi est victória? quæro vexillum salutis, et non invénio. Ego, inquit, in regnis, et crux Dómini in pulvere? Ego in aulis, et in ruínis Christi triúmphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ ætérnæ. Quómodo me redemptam árbitor, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid égeris, diabole, ut gládium, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac ob-

strúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec latére aquam passus est. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Golíæ caput est amputátum. Aperiátur humus, ut salus fúlgeat. Quid egísti, diábole, ut absconderes lignum, nisi ut íterum vincerís?

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : \* Et dedúcet te mirabiliter dèxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúde tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et dedúcet.

**Lectio v.**

**V**icit te María, quæ genuit triumphatórem, quæ sine imminutióne virginitátis édídít eum, qui crucifixus vínceret te, et mórtuus subjugáret. Vincéris et hódie, ut múlier tuas insidias deprehéndat. Illa quasi sancta Dóminum gestávit, ego crucem ejus investigábo. Illa generátum détulit, ego resuscitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum divinum de ruínis elevábo vexillum. Aperit ítaque

humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quæ ruína contéxerat, inimicus absconderat. Sed non pótuit oblitterári Christi triúmpus. Incérta hæret ut múlier, sed certam indáginem sanctus Spíritus inspirát.

**R.** Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

**Lectio vj.**

**Q**uæsívít clavos, quibus crucifixus est Dóminus, et invénit. De uno clavo frenos fieri præcépít, de áltero diadéma intéxuit, unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit. Visitáta est María, ut Hevam liberáret; visitáta est Hélena, ut imperatóres redimeréntur. Misit ítaque filio suo Constantíno diadéma gemmis insignítum, quas pretiosióri ferro innéxas cruci redemptionis divínæ gemma connécteret; misit et frenum. Utróque usus est Constantínus, et fidem transmísit ad pósteros reves. Príncípium ítaque

credéntium imperatórum sanctum est, quod super frenum. Ex illo fides, ut persecútió cessáret, devotió succéderet. Sapiénter Hélena egít, quæ crucem in cápíte regum levávit, ut crux Christi in régibus adorétur. Non insoléntia ista, sed pietas est, cum defértur sacræ redemptioni. Bonus ítaque clavus Románi impérii, qui totum regit orbem, et vestit príncipum frontem, ut sint prædicatóres, qui persecutores esse consueverunt.

**R.** Fallax grátia. [153]

**In iij. Nocturno, Homilia. Communi, [155] cum ix. Lect. S. Agapiti Martiris. 740.**

**In Laud fit Comm. Octavæ Assumptionis, 725. et S. Agapiti Mart. 740.**

EADEM DIE XVIII.

**S. Claræ a Cruce de Montefalco**

**Virginis. Duplex.**

**Omnia de Communi Virginum [122] præter seq.**

**Oratio.**

**D**eus, qui sanctam Virginem tuam Claram clarificans, in ipsius corpore passionis tuæ et Trinitatis mysteria mirifi-

cis signis renovásti : præsta quæsumus, ejus præcibus et imitatióne, sic nos tuæ passionis amaritudinem recordári; ut Trinitatis beatitudine perfrui mereámur. Qui cum Patre et Spíritu sancto in Trinitate vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum.

**Commem. Octavæ Assumptionis, 726. et simplicis. 736.**

**In j. Nocturno, Lectioes de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio íb.**

**L**ara virgo in Montefalco Umbriæ oppido hónesto genere nata, ab incunábulis non obscura prætulit sanctitátis indícia : nam pene infans, ita pietati dedita fuit, ut præcibus, vigíliis et jejúniis óperam daret, somni ádeo parca, ut raro lectulum dormitúra conscenderet, sed humi cubáret, si quando eam somni necessità oppræssisset. Arctióri vitæ desidério in cœnóbium virginum a Joánna sorore sua sub institúto sancti Augustini nuper exstructum humíllimis præcibus

admitti postulávit. Voti autem compos effécta, ut pro tanto beneficio Deo grátias persólveret, septem diérum jejúnium sibi indíxit, neque aliud quidquam præter dimídium panem cum pomo degustávit. Siléntium ádeo cóluit, ut, cum semel matris alloquéndæ grátia illud fregisset, in pœnam admissi erróris in summo frígore nives nudis pédibus calcans, cénties oratióne Dominicam recitáverit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabíliter dèxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúde tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et dedúcet.

**Lectio v.**

**M**Ortua soróre, cœnóbii administratióne repúgnans suscepit, omniúmque virtútum exémples céteris virgínibus prælúxit. Incredíbili fuit abstinentia, pane et aqua dumtáxat, idque semel in die, vitam tólerans; áspero cilício corpus domans, síngulis nóctibus flagéllis se cruentábat. Plures per annos gravíssimis morbis

vexáta, aliquándó etiáma dæmónibus dúriter cæsa, nihil de consuétó vitæ rigóre remisit. Erga páuperes tanta caritáte flagrávit, ut sæpenúmero illos véstibus indúeret, nec quemquam ab óstio monastérii vácuum abíre paterétur. Doctrína divínitatis infúsa, hæreticórum falsa dógmata confutávit, ac philósophis questiónes altíssimas proponéntibus satisfécit. Multa exstínxit ódia, et mortáles inimicitias sedávit, pacémque inter finítimos pópulos conciliávit.

**R.** Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

**Lectio vij.**

**I**ncredíbili ánimu Christi Dómini tormentá et cruciátus contéplári sólita erat. Quádam autem die Salvátor divínus suscepta peregríni persóna, cándido vestítus amíctu, húmeris crucem ferens in ejus corde redemptiόνis mystéria impréssit miríficis signis quæ in præsentem usque

diem cernúntur. In ejus quoque felle post mortem tres glóbuli repérti sunt, imáagine, colóre et póndere pares, et in ipsa fellis vescícula ita dispósi, ut triánguli formam exhibérent, sanctíssimæ Trinitátis symbolum referéntes. Prophetiæ dono illústris, multa futúra prædixit. Intima cogitátiónum inspéxit ac revelávit; soróribus secréta colóquia, occúltas eárum noxas, animíque sensa frequénter detéxit. Cum unam ex íisdem a dæmone obséssam vidisset, eam ut labem occúltam confessiône expiáret admónuit. Dénique post innúmera virtútum documénta, plúribus clara miráculis, divínitatis ad cœlum vocáta, décimo sexto Kaléndas Septémbris annó salutis millésimo tercentésimo octávo, ætátis quadragésimo, migrávit ad sponsum. Eam anno millésimo octingentésimo octogésimo primo, die Immaculátæ Dei Genitricis Conceptióni sacro, Leo Papa décimus tértius sanctárum Virgínium número solémni ritu ascripsit.

**R.** Afferéntur. [133]

**In III. Nocturno.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. xxv.**

**I**N illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Simile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviám sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi. **Serm. xcij. de Script. cap. ij.**

**U**Æ sint decem virgines, quarum sint quinque prudéntes et quinque stultæ, non fáciie indagári potest. Verúm tamen secúndum ea, quæ cóntinet ipsa léctio, quam caritati vestræ hódie vólui recitári, quantum mihi Dóminus intellectum donáre dignátur, non mihi vidétur ista parábola vel similitúdo ad eas solas pertinére, quæ própria et excellentióri sanctitate virgines in Ecclésia nominántur, quas étiam usitatióre vocabulo sanctimoniáles appellári consuévimus: sed, nisi fallor, hæc similitúdo ad univérsam Ecclésiám pertinet. Quamvis, etsi illas solas intelligerémus, quæ